

Stephanus Galdeti

*Positio Augustinensis de potentia
Dei et rerum perfectionibus*

Editor: Alexandra Baneu

work in progress
12.08.2024

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

P2 Paris, BnF lat. 16409

Project NOTA-ERC

|| **Positio Augustinensis de potentia
Dei et rerum perfectionibus**

P1 16r,
P2 32v

Utrum ineffabile primum esse inter suum immensum esse et
supremum creatum esse nobiliorem creaturam potuerit creavisse.

5 || Primo, de terminis positus in questione ponuntur aliquae P2 33r
propositiones.

Et prima sit de ineffabile: impossibile est creari speciem per quam
possit dici vel fari totaliter sicut est ipsum primum esse. Impossibile
enim est quod creetur species que sit notitia omnium entitatum et
10 etiam complexorum distantia, ergo impossibile est creari speciem que
representet divinum esse ut est speculum representans omnes entitates.
Ex quo sequitur quod non potest dici per aliquod verbum creatum
totaliter sicut est.

Secunda propositio sit de isto termino 'primum esse'. Et sit ista:
15 'solum divinum esse est simpliciter primum esse totaliter independens'.
Probo, quia si aliud esset independens, ergo esset primum esse, et
sic Deus et illud esse essent equaliter independentia, et sic ad unum
quoddam tertium reducerentur quod esset eis prius. Ex isto sequitur
quod aliquid esse possibile esse vel impossibile esse ab alicui simpliciter
20 est dependens.

Tertia propositio sit de isto termino 'supremum creatum esse', qui
terminus potest distinguere, quia creatum esse potest accipi vel pro entibus
vel modis ipsarum.

Ex hiis ad questionem sit hec prima conclusio: non est possibile quod
25 sit aliquis terminus inclusive terminans totam latitudinem perfectionis
create. Probatur, quia, si esset aliquis talis terminus, tunc esset aliquod
individuum creature rationalis et esset infinite perfectionis. Ergo cum
versus non gradum perfectionis species illius individui non sit infinita,
erit processus in infinitum in infinitis speciebus sub illa, quia non erit
30 dare ultimam speciem infinitam.

Ex isto deducit quod non est dare nec potest dari aliquod supremum
creatum esse quod competat intrinsece alicui creature. Patet, quia super
omnem creaturam est vel esse potest alia perfectior.

1–2 positio — perfectionibus] *p. c. in marg. P1* 5 ponuntur] conclusiones
add. sed del. P2 7 prima] prima propositio de specie *add. in marg. P1* creari]
creare *P2* 12 ex quo] de verbo simpliciter *add. in marg. P1* 14 secunda
propositio] *iter. in marg. P1* 15 totaliter] impedens *add. sed del. P2* 21 tertia
propositio] *iter. in marg. P1* 24 ad questionem] *iter. in marg. P1* prima
conclusio] *iter. in marg. P1* 31 aliquod] aliquid *P1* 33 perfectior]
corollarium *add. in marg. P1*

Alia conclusio: impossibile est quod in linea perfectionis vel etiam bonitatis detur ultimum creatum esse possibile. Probatur, quia illud esset aliquod individuum vel in alico individuo, et sic illud individuum nullo modo distaret a non gradu perfectionis, et sic nullius omnino esset perfectionis cum quecumque data contingat dari minorem in duplo etc.

Ex isto infertur quod prima materia non est infimum creatum possibile.

Tertia conclusio: ineffabile primum esse inter suum immensum esse et supremum creatum esse quod est de facto in rerum natura nobiliorem creaturam potuerit creavisse. Probatur, || quia tantum finita creatura est in rerum natura, ergo super illam potest fieri alia.

P2 33v

Ex isto deducitur quod nullum infinitum malum esse aut infinite bonum esse competit de facto alicui facture. Patet ex dictis.

Quarta conclusio: ineffabile primum esse inter suum immensum esse et supremum creatum esse possibile nobiliorem naturam non potuit creavisse, quia nullum est nec esse potest supremum creatum esse possibile, ut deductum est secundum materiam et secundum genus supremi entis creati inter supremum tale genus et summum immensum esse non potest creari creatura alica.

Ex hac infero quod perfectio simpliciter, que constituit supremum genus creati esse, est infinitam secundum sursum et quelibet alia, ut in esse vite precise, ut sentire, vel purum esse simpliciter est finita, quia quelibet est illa.

Ex quo deduco quod, quamvis quolibet rationali dato sit dare rationale in duplo perfectius, non tamen quolibet rationali dato est dare irrationale in duplo aut triplo perfectius. Et econtra descendendo non quolibet rationali dato est dare rationale in duplo imperfectius, quamvis quolibet ente dato sit dare ens in duplo imperfectius.

Ultima conclusio: quamvis per replicationem divine bonitatis constituatur numerus perfectionis in ipsis speciebus, non tamen est dare primum numerum ipsorum creatorum, et sic nec est dare primum numerum qui simpliciter immediate procedat. Et primo a prima unitate patet, quia nulla talis perfectio creature est suprema perfectio.

Procedunt autem species isto modo a Deo, sicut numerus ab

1 alia conclusio] secunda conclusio *add. in marg. P1* 6 ex isto] corollarium *add. in marg. P1* 8 tertia conclusio] *iter. in marg. P1* 12 ex isto] corollarium *add. in marg. P1* 14 quarta conclusio] *iter. in marg. P1* 15 possibile] possibilem P2 20 ex hac] corollarium *add. in marg. P1* 23 illa] suprema *add. sed del. P1* 24 ex quo] corollarium *add. in marg. P1* 26 descendendo] quod non quodlibet *add. sed del. P1* 27 duplo] imper *add. sed del. P2* 29 ultima conclusio] *iter. in marg. P1* 32 a] et a. c. P1 unitate] patet *add. sed del. P2*

unitate, sic quod sicut per replicationem unitatis sit numerus, sic per replicationem divine perfectionis sit perfectior creatura, sed non est omnimoda similitudo. Et hec de illa positione.



1–2 unitatis — replicationem] *om. P2*